



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

XII. Christus, Pastor, & Episcopus Animarum nostrarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

est præ Christo Pontifice, nulli alteri Pontificis nomen deberi. Sic enim S. Petrus quem inter vocatos summos Pontifices, primum & optimum agnoscimus, Epistolæ 1. cap. 2. Christum vocat *Pastorem & Episcopum animarum nostrarum*. Quem absolute pastorem & Episcopum nostrum nominat, significat ita eminere in eo munere, ut nullus præ ipso alius sit Pastor noster, & Episcopus, siue Pontifex. Studeamus & nos quandoquidem Christi membra sumus, agere Pontifices in anima nostra. Monitum est Origenis hom. 6. in Leuit. sub mediū.



CAPVT XII.

Christus, Pastor & Episcopus animarum nostrarum.

PASTOREM Christum, considerandum suscipio, propter oves rationales, quoscunque inquam homines, tanquam bonus Pastor, omni cura inpena pascit. Merito autem tractationem huius tituli Christi, adiungimus tractationi de Christo Pontifice. Idem quippe sunt, Pontifex & Pastor, ac Episcopus; nisi quod *Pastoris* nomen, dicitur per comparationem ad *ouilem*: eodemque etiam ex usu, tractum est nomen *Episcopi*, tanquam inuigilantis gregi, superque illud, ut Pastores faciunt, speculantis & excubantis. Huius metaphora connotatione, caret nomen *Pontificis*, etiam si subiectionem populorum, eorumque directionem ad Deum, per cultum præscriptum, & apta sacramenta, con significet.

Christus antonomastice Episcopus, ac Pastor, nos oves, & unde ea denominationes.

1085 Undecunque autem petantur ea nomina, notio subiecta est eadem: vi & non modo Christus quatenus Dei Verbum est Episcopus qua ratione Faustinus l. de fide ad Flavillam c. 1. Christum vocat *totius creaturæ Episcopum*, sed etiam quatenus Verbum caro factum verèque dicitur, Episcopum & pastorem quemcunque, etiam si Christi Pastoris & Episcopi imaginem præferat, tamen præ eo aequè non esse Pastorem & Episcopum; sicut præ Deo qui solus est, creata omnia dicuntur non esse. Signatum id videtur, eo ritu Christiano, quo Episcopum ad Evangelij recitationem assurgere, & Episcopatus insignem deponere, visus fuit, ut tradit Simeoni Thessalonicensis l. de Templo, exponens quorsum Episcopus cum recitatur Evangelium, vestem ex lina textam *ouibuscumque* vocabant erraticæ ovis Symbolum, quod prius gestabat, abs se remoueat. Idem docent illa Ildori Pelusioræ lib. 1. Epist. 136. [Id amiculum quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lana non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui Christum typum gerit, ipsius munere fungitur; atque

Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.

ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni Pastoris imitorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. Ac diligenter animum attende. Nam cum ipse verus pastor, per adorandum Evangeliorum apertionem accedit, tum demum Episcopus affertur, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum Dominum ipsum, pastoralis actus ducem, ac Deum & herum, adesse significans. [Archipastorem ea ex causa, Christum nominavit S. Athanasius orat. de cæco a Natiuitate, sub finem. Idem sonat quod ex S. Ignatio supra retuli, Epistola ad Magnesianos, vocante Christum, *verum & primum Episcopum*; quasi reliqui præ eo, & in comparatione ad eum, non essent Episcopi ac Pastores.

Hoc ipsum est, quod Christus ab Apostolo Heb. 13. *Pastor magnus oium* denominatur. Duires esse *magnum Pana*, cuius mors apud Eusebium 5. Præpar. cap. 9. ex Plutarcho lib. de defectu Oraculorum, in illud ipsum tempus refertur, quo Christus occidit. Et quamvis ab Eusebio, Pan. ille magnus per Christi mortem occisus, censetur Satan; non minus aptè tamen ab aliis apud Baronium anno Christi 34. eo nomine, Christus magnus pastor accipitur: cuius mortem sibi adeo exitialem, laxerint Dæmones. Et fortitur sanè Christus, sublimissimo & eminentissimo quodam modo, quasi nullus planè alius, omnes veri Pastoris characteres: quod monstrare operosum non erit, ubi contiteri, pastoris nomen, maximè proprium Christo esse, ratione vnionis & Incarnationis; quæ idcirco facta est, ut hominum qui in oves & bruta degenerauerant, Pastorem ageret Deus ipse: quod diligenter profequitur autor homiliæ de Oue & Pastore, apud Chrysostomum Tomo 6. Græcol. ubi rationem reddens cur Christus dictus sit *Ovis*, & cur *Pastor*, ait. [Hoc ergo manifestum, vel ut ouem ductum esse ob supplicij æconomiam: pastor verò fuit propter potentiam illam benignitatis. Neque enim erubescit Deus appellari *Pastor*. Equum quidem fuerat, nos Deum etiam & Regem agnoscere. Verum posteaquam Deum velut homines ratione præditi, non cognouimus, saltem velut oves brutas pastorem nos vult agnoscere. Si enim cum Deus in hunc mundum venit, te ratione præditum inuenisset, necesse fuisset illum velut Deum, tibi apparere. Verum postquam ille hominem reperit nullum; sed tanquam ouem iam à præcis visque temporibus errantem, & per Prophetas Dominum inuocantem; Errantem sicut ovis quæ perit, quare seruum tuum; idcirco regiam illam dignitatem celat, & pastoris caram officiumque profert. Eam ob rem etiam, ab initio instituit in præsepi suum corpusculum collocari, matre quoque & Iosepho, æconomix & diuinæ dispensationis ministerio, in arcum & angustias adductis. Neque enim illum Seruatoris patrem appellauero, neque maritum Mariæ; sed confortem & mysterij huius mediatorem. Siquidem sponsus ille erat Mariæ, non autem maritus. Et maritus quidem erat appellatione, re ipsa autem minister æconomix. Hic igitur in Bethleem, cum Mariæ ita coarctatur, ut propter hospitij angustias, infantem in præsepi collocare necesse haberent. Atqui Deus illis tam angustum arcumque locum procurauit, ut benignus ille, ibidem necessitate compellente, deponeret.

DDD d tur,

tur; deponeretur, inquam, Saluatoris in carne
economia, hoc ita postulante. At curam hoc
insinuat: Quia praepe, brutorum mensa est: hu-
manitas verò tum ipsa, in brutorum naturam
degenerauerat. (*Homo enim cum in honore esset,
non intellexit, & comparatus est iumentis inspi-
cientibus; & similis factus est illis.*) Caelestem il-
lum cibum, in brutorum mensa apponit: ut quo-
rum animi sensusque bruti essent, ad praepe
tanquam suam mensam accedentes, non am-
plius gramen, quo bruta animalia pascuntur, in-
ueniant, sed eum qui pronuntiavit; *Ego sum pa-
nis, qui de caelo descendi; & dabo vitam mun-
do.*

Aliam tamen rationem earundem denomi-
nationum, valde concinnam, tradit Origenes
tract. 14. in Matth. cum tradit, Alinam & pul-
lum quibus Christus insedit, esse fideles popu-
los. [Non tibi (inquit), videatur sermo insulsus
quod fideles homines animalibus comparentur.
Forssim enim tale aliquid intelligens & Pro-
pheta, dicit se factum esse quasi iumentum; non
simpliciter iumentum, sed sicut iumentum apud
Deum, vel apud Christum eius, secundum quod
ait, *ut iumentum factus sum apud te.* Nam quan-
tum ad Deum, iumenta sumus, non solum nos,
sed etiam multo magis prudentiores. Sic autem
quantum ad pastorem Christum, etiam oves
eius sumus; quoniam tanta distantia est inter eum
& nos, quanta inter hominem & quaecumque
iumentum.] Nec illa S. Athanasij ratio prae-
mittenda est, qua serm. de cæco à Natiuitate,
Christum pastorem à tanta nostri cura, titulo do-
nat, fideles verò obium titulo, quia sunt lanigeri
beneficentia erga pauperes, abundantes lacte
nutricantis sermonis, ut porè corpore Domini,
obedientes virgæ crucis, & triplici fidei catena
in vnum coniuncti, nec inquam gregem dere-
linquentes.

Porò fideles, ut oves, ita *Grex* item *Christi*,
denominantur eodem sensu, vel etiam *greges*:
quod eodem recidere, sic monstrat Philippus
Abbas lib. 2. in Cant. cap. 3. in fine. [Geges sunt
Apostoli & qui eis fide & operibus aggregan-
tur, qui Evangelicis imbuti sacramentis ab erro-
re ignorantium segregantur; qui venerantes
Virginem & eius credentes auditui, ad æternam
pascuam suspirantes, quæ mundi sunt, habent
contemptui. Quibus per Ezechielem dicitur:
(*vos autem greges mei dicit Dominus.*) Quos
idè fortè plurali numero *greges* voluit appel-
lare, quia iussu Apostoli verbum Evangelij cre-
dituris Gentibus prædicare; diuisi ab inuicem,
ducente spiritu, diuersas mundi partes elegerunt,
in quibus multos greges & conuentus homi-
num, multas Ecclesias prædicandi studio colle-
gerunt. Qui etsi loco, tempore, virtutum meri-
to, sunt diuersi, tamen dum ad fidem catholi-
cam, & doctrinam Euangelicam veniunt vni-
uersi, multi greges in vnum, in vnam Ecclesiam
plurimæ rediguntur: omnèque indiuiso sacra-
mento fidei & baptismatis, vniuntur.]

Pastoris munus, Christo non indecorum.

1086 Sumus igitur nos oves, Christus au-
tem pastor. Quod ferunt Scripturæ sanè per-
multæ, ad hunc titulum Christo vendicandum
congestæ à Iosepho à Costa lib. 5. de Christo
reuelato cap. 3. Nec est quod nobis, is titulus

Christo indecorus, aut indignus videatur. No-
bilissima quippe est pastorica disciplina, & re-
giæ affinis. [Et hoc est opinor, ait Philo initio
libri de Ioseph, cur Poetæ Reges vocent *Pas-
tores populi*. Nam qui summus est in arte pecunia,
facile bonus Rex euadet, pulcherrimo gregi ho-
minum præpositus, approbata industria in mi-
nore negotio. Siquidem quemadmodum futuro
Imperatori, necessaria sunt exercitia venationis,
sic ad mouendis ad curam reipublicæ, proprie
pastoralis ars congruit, velut præludium quod-
dam magistratum.] Non dissimilia habet lib.
de Agricultura ante medium. Et Pulchre lib. 1.
de vita Moysi. [Præfuit gregibus (ait de Mose),
ad principatum se præparans. Nam pastoralis
ars, ad regnum est præludium, hoc est ad regi-
men hominum gregis mansuetissimi: quem-
admodum bellicosa ingenia prætercent se
in venationibus; in feris enim experientur futu-
ri præfecti militiæ, brutis præbentibus mate-
riam exercitij, tam belli, quam pacis tempore.
Nam præfectura mansueti pecoris, habet quid-
dam simile cum regno in subditis: idè Reges
cognominabantur *Pastores populi*, non con-
tumeliam, sed honoris gratia. Imò quantum ego
intelligo, non iuxta vulgarem opinionem, sed
rei veritatem vestigans, rideat qui volet, solus
potest esse Rex vndequeque perfectus, qui bonè
callet artem pastoritiam, & curando minora
animalia, didicim quomodo debeat præfere præ-
stantioribus.]

Philonem expressit S. Basilus; & ad Chri-
stum pastorem inde obrepit, oratione de S. Ma-
mante. Et cum præclaros quosque, olim deditos
huic muneri retulisset, subdit. [Sorores quædam
sunt pastura & regni administrationis, nisi quod il-
la irrationali, ista verò rationalium animalium
curam habet. Ita scilicet ad maiorem illa scienti-
am transitum habet. Quapropter Dominus
vtramque complexus, & pastor est & Rex; ira-
tionales pascens, maiori ratione præditos, sub
regni gubernationem includens. Vis dicere
quantæ dignitatis sit pastor? *Dominus*, (inquit)
pascit me. Quomodò verò Regiæ gubernationis
soror est pastura? *Quis est ille*, (inquit), *Rex glori-
æ*? Qui illic pastor, hic Rex dicitur. Nec putes
illum ab aliis quidem Pastorem vocari, ipsum
verò id appellationis, pudoris gratia non agnos-
cere. Quin ipsè degeneres pastores compellens,
in seipsum veræ pasturæ testimonium transtulit.
Ego, (inquiens), *sum pastor ille bonus*. Arcet de-
generes, & veritatem sibi ipsi vendicat. *Ego sum
pastor ille bonus*. Disce quid sit pastor, & quis sit
bonus ille. Ipse hoc interpretatur. *Verum pastor,
animam suam ponit pro ovibus suis.*

Per sublimissimum in pastore erga oves suas
beneficium, quod perpessione alperorum, &
per æstum ac gelu visione pro ovibus, pericu-
lorumque additione in earum gratiam exhibe-
tur; de scripsit S. Basilus, alia minora quæ sigil-
latim proponuntur eodem cap. 1. Ioann. è quo
istud protulit. Is sanè officiis, exhibendis, lau-
dati pastoris, eoque nomine digni, notas omnes
& characteres, contineri liquet; nempe ovium
notitiam, & deductionem ad pascua, tutelam-
que à lupis, per se, & per animatum gladium,
(ut Nyssenius de hominis opific. cap. 7. scitè ap-
pellat canem;) reductionem denique errantium
ovium, ad caulam. Hæc omnia in Christum Do-
minum cadunt exquisitissimè, quod plerique Pa-
trum

trum plenè prosequuntur in Plal. 22. quibus totus est de his boni pastoris Christi officiis erga oues suas, minutius concisus, & in plura de articulis. Pulcherrima & breui cephrasi, eum Psalmum exposuit Nyssen oratione de Ascensu. Ego quatuor illa quæ proposui, paucis expedio.

*Pastoritia Christi functiones erga oues.
Notitia duplex.*

1087 Nouit ergo imprimis Christi pastor oues suas, & quidem *nominatim*, quæ est beata illa præscientia, quæ præsupposita, non repellit Deus plebem suam, ut loquitur Apostolus: nec aliud reuera est, quam descriptio in libro vitæ, ut D. Augustinus philosophatur tract. 45. in Ioan. Nam quamuis omnes homines, ac specialius etiam omnes fideles, sint oues Christi Pastoris, ut sæpè apud Plaltem habetur, tamen maximè propriè, id est fideles, oues Christi dicuntur, quorum est Deus; ut idem S. Augustinus egregiè prosequitur lib. de ouibus cap. 17. Solis autem electis, fas est cum omni proprietate, dicere de Deo *salutare vultus mei, & Deus meus*, ita scilicet, ut Deus in eorum sortem & hereditatem cedat, sique possit suo eorum. Habent, ne se reuera electi, & ceteri seruata proportione, sicut duo illa hominum genera, quæ se pauisse assumpta virga vna, cui nomen *uniculo*, & altera cui nomen *decori*, proficitur Deus homo faciendus, apud Zachariam cap. 11. Has itaque oues, nouit Christus pastor nominatim. Magna reuera beatitas, nosci ex nomine à pastorem principis.

Nec nuda notitia ad intellectum pertinente cognoscit, sed iuxta Scripturæ phrasin, à S. Hieronymo ad Galat. 4. & Zach. 8. & à S. Gregorio 1. p. Pastor. cap. 1. & 2. Moral. cap. 4. itémque à D. Iulio Angulino serm. 5. de verbis Apostoli, obseruatam, & exemplis illustratam; Cognoscit notitia beneuola, id est amore insigni prosequitur. Sicut enim dicitur reprobos nescire, id est agnoscere & odissere: ita dicitur *scire sperantes in se*. Et apud Apostolum dicitur *nosce*, id est diligere *qui sunt eius* Huiusmodi, itaque est Christi pastoris cognitio, quæ rationalis suas oues attingit, id est diligit, ut disertè exponit S. Gregorius hom. 14. in Euang. idque abundè monitrat cura & prouidentia, quam ouibus suis optimus pastor adhibet, in deductione, (ut dicebam, ad bona pascua, tutela, & reductione earundem si quando exercent. Eam curam esse baculum, quem David verus pastor noster semper habet in manibus, commentatur pulchre Rupertus l. 1. in libros Regum c. 5.

Deductio ad vitæ pascua.

1088 Vita pascua ad quæ bonus pastor oues suas ducit celebrat egregiè S. Ambrosius serm. 14. in psalmum 118. ad versum 1. literam namque. *Nun* quæ ei octonario præfigitur, interpretatus *pascua eorum*, sic subdit, [Quæ sunt pascua, nisi Christus? in cuius pascuis se locatum Propheta lætaturus est, dicens: *In loco pascuæ ibi me collocauit*. Ipse enim nos pascit, & reficit. Bona pascua, diuina sacramenta sunt. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis lilium, in quo sit splendor

æternitatis. Carpis rosam, hoc est Domini corporis sanguinem. Bona etiam pascua, libri sunt Scripturarum cælestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur, cum ea quæ scripta sunt, degustamus, vel summo ore libata, frequentius ruminamus. His pascuis grex Domini laginatur. Bona etiam Christi pascua, montes conuallium: (nam & in his pascit Christus sicut capreolis aut hinnulus ceruorum,) hoc est in splendoribus sanctorum, qui sicut luminaria istius mundi, sedula humilitate fulgentes virtutum diuersarum præstant cacumine, & supra mundum meritis suis eminent. Isti sunt de quibus dicitur, *De hoc mundo non sunt, sicut & ego non sum de hoc mundo*: quia supra mundum sunt qui Christum sequuntur. Conuallis autem mundus est. Ideoque disposuit in conualle feras, eo quod in hoc mundo fletus sunt lachrymæque. Et prouidens Dominus disposuit in hoc mundo testamentum vnum, ut magis hic fleamus peccata nostra, quam flenda seruemus. Pascua nostra etiam isti versiculi sunt, de quibus hodie tractaturi sumus, in quibus David dicit, *Pascua ouis patris mei*: ostendens veram lucernam, docens humilitatem. In pascuis talibus verus David, verus humilis, & magna fortis, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, & homo natus per Virginis partum, humiliavit se usque ad mortem, oues patris sui diuina prædicatione pascibat, cum secundum scripturas suum probaret aduentum; cum quinque panibus & duobus piscibus, quinque hominum millia satiaret. Hæc ergo nostra sunt pascua, hæc eorum qui possunt dicere, *Quam dulcia faucibus meis verba tua.*

Pascere Christum inter lilia, (proptèr vidisti D. Ambrosium legere verba sacri Epithalamij,) habet quoque Nyssen hom. 5. in Cant. *sub finem* insigniter ea pascua exponens his verbis, [Hic est pastor bonus, qui non feno pascit gregem, sed puro lilio pascit oues. Is est enim reuera, qui feno non amplius nutrit fenum. Natura enim experti rationis, proprium nutrimentum est fenum. Homo autem cum sit particeps rationis, vero nutritur verbo. Quod si huiusmodi feno fuerit saturatus, ipse quoque fit fenum, (Omnia enim, inquit, caro est fenum,) quamdiu caro est. Sin autem fiat spiritus qui natus est ex spiritu, non amplius cibum depascet ex feno, sed spiritus erit eius alimentum, quod quidem tacite significat lilij puritas & bonus odor. Erig ergo ipse quoque lilium purum, & bene olens, mutatus & alteratus ex alimenti natura.]

1089 Pascit in liliis Christus pastor oues suas & pecora, ait S. Cyrillus in cap. 42. Eua, id est in omni virtutum pulchritudine & fragrantia; in pascuis vberimis pascit eas, ut ipsemet apud Ezechielem prodit, ubi sub nomine Davidis, non ille temporalis Rex Israël tanto ante mortuus, sed Christus oues suas pasturus, & genus omne prouidentia illis impensurus, proponitur. Quæ verò vberiora pascua Christo ipso? Nam is se in pabulum ouibus suis præbet. Nec reuera quoad pabulum ouium Christi, dissidet S. Macarius hom. 14. *sub finem*, affirmans Christi oues non aliis pascuis, aut etiam vellere, vel domicilio uti, quam igne, non secus ac animalia quædam ouibus similia, de quibus ita scribit, [Ut prophano sermone per-

DDD d 2 hiberur,

hibetur; quidam sunt montes ignei, in quibus ignis permanet, & illic sunt animalia ouibus similia, ad quæ capienda venatores rotas ferreas conficiunt, & proiectos hamos mittunt in ignem; propterea quod animalibus illis loco pabuli, potus, requietis; incrementi, vita, omnium denique rerum vice, est ignis. Quæ si traducas in alium aërem, statim intereunt. Indumenta eorum ubi sordibus maculata fuerint, non aqua sed igne lauantur, & inde puriora fiunt & candidiora. Eadem ratione etiam Christiani, alimenti loco habent illum ignem celestem, qui illis est requies, expurgat lauat & sanctificat cor illorum, præbet illis augmentum, illis denique est aër & vita. Qui si inde egrediantur, interimuntur à malignis spiritibus, sicut ibi animalia ignem egredientia moriuntur.] Hæc non aliud ferunt, quam Spiritum Christi, esse eius ouibus & gregibus, omnia.

Ouium tutela à lupis, per se & per fidos canes.

1090 Tutelam ouibus suis præstitit Christus pastor, obiectu suimetipsum, ut lupi arcerentur. Illi inquam nocturni lupi, à quibus potius vastatio omnimoda inferebatur diuino ouili. Nec canes fidos, quibus securitas ouibus præstetur desiderari patitur. Prælatos interpretatur Philippus Abbas lib. 3. in Cant. capite 13. Itaque stenuit custodes gregis Christi, Bernardus apud Gulielmum S. Theodorici Abbatem lib. 1. vitæ eiusdem Bernardi c. 1. & Dominicus Ordinis Prædicatorum parens, & eiusdem instituti alumnus Vincentius Ferrerius, canum specie diuinitus sunt præsignati, cum adhuc matris vteris distinerentur. Nec Scriptura ipsa, eam appellationem in talibus viris refugit. Monuit id egregie D. Augustinus Epist. 59. tractans illud Psalmi 67. *lingua canum tuorum, ex inimicis ab ipso*; quæ verba S. Paulinus Epistola 43. exponi sibi ab eo petierat. [Et paulo infra, inquit] quod ait, *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*. A quo ipso? Et nunquid canes Dei dici possunt Gentiles, quos ipse in Euangelio canes nominat? Aut ne forte ipsos canes Dei dicat, quales, æstimari possunt, si qui in nomine Christiano gentiliter vivant, quorum pars cum infidelibus ponitur, quia Deum quem verbis colunt, factis negant? Respondet D. Augustinus, eaque verba sic exponit. [Non semper in malo, accipiendi sunt canes. Alioquin non reprehenderentur apud Prophetam, canes muti nescientes lattare, & amantes dormire. Profecto enim laudabiles canes essent, si & lattare scirent, & vigilare amarent. Et certe illi trecenti, in numero per crucis literam sacratissimo, non eligerentur ad victoriam faciendam, qui tanquam canes lamberent aquam, nisi aliquid magnum significarent. Vigilant enim & latrant boni canes, & pro domo, & pro Domino, & pro grege, & pro pastore. Denique & hic in Ecclesiæ laudibus, cum Prophetia exereretur, lingua canum est commemorata. Non dentes autem tuorum canum, dixit *ex inimicis*, id est, ut qui erant inimici, hic fierent canes tui, & latrarent pro te, qui sæuebant in te. Addit autem, *Ab ipso*, ut non à seipsis hoc factum intelligerent, sed ab ipso, id est, misericordia eius & gratia.] Quod ex inimicis, diligi à Christo canes cu-

rodes, & excubitores ouilis sui, tradit S. Augustinus, obseruatum aequè est à S. Gregorio 20. moral. cap. 7. ad illud quos non dignatur ponere cum canibus gregis mercede canibus, ex lupis mirabili metamorphosi à Christo proutis, hic philosophatur. [Quis est grex sanctæ Ecclesiæ, nisi multitudo fidelium? Vel qui alij huius gregis canes vocantur, nisi Doctores sancti, qui eorumdem fidelium custodes exciterunt? Qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigilis intent; clamauerunt; magnos, ut ita dixerim, latratus prædicationis dederunt. De quibus eadem Ecclesiæ per Psalmistam dicitur; *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*. Nonnulli quippe ab idolorum cultibus reuocati, facti sunt prædicatores Dei. Lingua ergo canum Ecclesiæ, ex inimicis prodit; quia conuersi Gentiles, Dominus etiam prædicatores facit. Vnde Iudæorum tarditas, qui pro Deo loqui noluerunt, increpante Propheta reprobatur, qui ait *Canes muti, non volentes lattare*. Patres vero hæreticorum dicimus, eos videlicet, quos hæretichas vocamus: de quorum peruersa prædicatione, id est locutionis semine, sequentes sunt populi in errore generati.]

Egregie omnino hos canes vlcera eorum qui peccarunt lambentes, exprimit Guericus ferm. 2. de Pentecoste. De hac canum, & Ecclesiæ, siue concionatorum idoneorum comparatione, fusè philosophatur Erasmus lib. 1. de oratione concionandi *sub finem*, pag. 49. considerans præsertim, quod canes vini medicam in lingua habent, eligendo saniem, & obstando ne locus saucius computrescat. Quod Nyssen orat. in differentes Baptisimum, Ennuclum Candacis Regina, vocat *canum bonum, sanguinis & agni occisi gustatorem, & Philippi Diaconi al. lattare, alio pertinet.*

Aberrantium ouium, reuocatio.

1091 Reductionem ouium ab ouili aberrantium, præstat bonus hic Pastor, primum coercendo, & virga ac baculo quibus se conlatum David aiebat, feriendo oues inconsulte vagantes. Est enim non exiguum pastoralis & paternæ beneuolentiæ indicium, ferri à Deo, & per impactam virgam, fugari insipientiam collo alligatam. Vbi mixta lenitati & beneuolentiæ seueritas, virgam & baculum consolantia exhibet; æquè ac manna simul & virga, intra arcam, ut S. Gregorius ratiocinatur l. 20. mor. cap. 6. Vnde Origenes omnino insigniter hom. 7. in Iosue, molles pastores, bonorum nomen affectantes, exemplo pastoris Christi, excitat ad officium. [Illud, inquit, non otiose transcurrendum est, quod vno peccante, ita super omnem populum venit. Hoc modo accidit, quando sacerdotes qui populo præstant, erga delinquentes, benigni volunt videri, & verentes peccantium linguas ne forte male de eis loquantur, sacerdotalis seueritatis immemores nolunt implere quod scriptum est; *Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant*. Et iterum; *Auferre malum ex vobis ipsis*. Nec zelo Dei succincti, imitantur Apostolum dicentem; *Tradidi huiusmodi hominem Sarana, in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat*. Neque illud Euangelicum implere student, ut si viderint peccantem, primum secretò conue-

niant, post etiam duobus vel tribus arbitris. Quod si contempserit, & post hæc Ecclesiæ correptione non fuerit emendatus, de Ecclesiâ pulsum, velut Gentilem habeant ac Publicanum. Et dum vni parcent, vniuersæ Ecclesiæ moliantur interitum. Quæ ista bonitas? quæ ista misericordia est, vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Polluitur enim ex vno peccatore populus, sicut vna oue morbida grex vniuersus inicitur, sic etiam vno vel fornicante vel aliud quodcumque sceleris committente, plebs vniuersa polluitur. Et idem obseruamus nos inuicem, & vniuersumque conuersario nota sit, maxime Sacerdotibus & ministris. Nec putem se recte dicere, quid hoc ad me spectat, si alius male agit? Hoc est dicere caput ad pedes, quid ad me pertinet si dolenti male habent pedes mei, non mea interest, dummodo caput in sanitate perduret. Aut si dicat oculus manus, non indigeo opera tua, quid ad me pertinet si dolens? si vulnerata es? Nunquid ego oculus conturbabor ex ægritudine manus? Tale ergo est quod aiunt ij qui Ecclesiis præfunt, non cogitantes quia vnum corpus sumus omnes qui credimus, vnum Deum habentes, qui nos in vniuersitate constringit & continet Christus: cuius corporis tu qui Ecclesiæ præfides, oculus es, propterea vtique vt omnia circumspicias, omnia circumlustras, etiam ventura prævideas. Pastor es vides ouiculas Domini ignatas periculi ferri ad præcipitia, & per prærupta pendere, non occurris? non reuocas? non saltem voce cohibes, & à corruptione, clamore deterres? Sic memor es Domini sacramenti, vt cum ille non agnitionem in celestibus relinquens, propter vnam ouiculam quæ errauerat, ad terras descendit, & inuentam veclauerit humeris suis ad celum, nos in nullo profus in curandis ouiculis magistri pastoris sequamur exemplum?

Sed maxime præstitit hanc reductionem pastor bonus, cum ad querendam ouem perditam, reliquit nonaginta nouem in deserto donec inueniret eam, sicut ouis, iugulandum pro ouibus præbuit, vt morte morti mederetur: de quo luculenter Basil. Selencia: orat. 26. prope tota. Hoc fuit querere, simulque viuificare oues suas, iuxta illud Psalmi 118. Erraui si ut ouis qua peristi, quare seruum tuum. In quæ verba, S. Augustinus ibi conc. 32. pulchre notat, non nullos codices, non habere. quare, sed viuifica. [Vna quippe syllaba interest, qua inter se in Greco distant, *ἔκω* & *ἐκάρω*. Vnde & ipsi codices Græci variant.] Quæ itaque ouem perditam, id ipsum fuit quod viuificari, & per Pastoris aduentum ad nos, mortemque benignissimam donari vita spirituali & sempiterna.

Studium verò suum in ea querenda & reducenda, exprimit luculenter apud Ezechielem cap. 34. verbis illis. Quæ cum D. Augustini expensione represento ex l. de Pastoribus cap. 11. [Ecce ego ipse, & inquiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum. Non curauerunt mali pastores: non enim suo sanguine redemerunt. Sicut visitat, (inquit,) pastor gregem suum in die. In quali die? Cum fuerit nimbus & nubes, id est, & in pluuia & in nebula. Pluuia & nebula, error seculi huius: caligo magna surgens de cupiditatibus hominum, & nebule valida contegens terram. Et difficile est,

vt non errent oues in ista nebula: sed pastor non de erit eas. Inquit eas, penetrat nebulam oculis acutissimis, non impeditur caligine nubium. Videt vndique, errantem reuocat: in tantum, vt fiat quod dictum est in Euangelio. *Qua sunt oues meas, audiunt vocem meam & sequuntur me. In medio ouium disperfarum, sic inquiram oues meas, & educam eas ab omni loco quo dispersæ sunt illæ, in die nubis & nimbi.* Quando difficile est eas inueniri, tunc ego inueniam. Crassa nebula est, pinguis nimbus est: oculus enim meos nihil latet. Et educam eas de regionibus, & inducam eas in terram earum & pascam eas super montes Israël.]

Gaudium Christi Pastoris, de ouium bono; Earum in illum, ingratitudo

1092 Gaudium summum erat Christo, cum deducebat ad Deum oues. Sed & nunc eodem gaudio perfunditur, vt Origenes insigniter prosequitur, hom. 23. in Num. *sero in initio, tractans illud, in diebus suis meis.* Hic inclamandum meritò via ouis, Christiana anima, vt pastoris pro ipsa studium agnoscat, & grato prosequatur animo. [Agnosce homo (ait S. Augustinus serm. 9. ex 40. nouis) quid fueris, vbi fueris sub quo fueris. Ouis errans eras, in inuio & iniquo solo, spinis & tribulis pascerebas, sub mercenario posita, veniente lupo secuta non eras. Nunc autem requisita à vero pastore, humeris eius pietate subiecta, reducta es ad ouile, id est ad domum Dei, videlicet Ecclesiam: vbi pastor tuus Christus, & oues conmanent congregatæ. Pastor iste non est vt mercenarius, sub quo misera laborabas, sub quo lupum timebas. Vis autem scire quantam tui curam habeat hic pastor bonus? Animam suam pro te posuit. Ipse enim in Euangelio dicit, *Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis.* Hoc fecit. Invidiant enim lupo tibi, se obtulit occidendum pro te. Nunc ergo secuta manes in ouili. Nec indiges quempiam alium, qui cordis tui claudat aperiatque ianuam, quia Christus tibi & pastor & ianua est: Ipse & pascua, & prouisor. *Ego sum, (inquit,) ouili ouium. Per me si quis ingressus fuerit, saluabitur, & egredietur, & ingredietur, & pascua inueniet.* Pascua igitur, quæ tibi hic bonus pastor parauit, in quibus te satiari collocavit, non sunt herbarum virgentium varietas, in quibus quædam dulci succo, quædam amarissimo constant, quæ successu temporum aliquando sunt, aliquando non sunt. Pascua tibi loquua Dei & mandata sunt dulcia seminata. De his pascuis gustauerat ille qui dicebat Deo, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum uri meo.* De his pascuis idem ipse dominicus ouibus clamat, & dicit, *Gustate & videte quam suavis est Dominus.* Lege igitur Decalogum veteris Testamenti, *Non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, & cætera.* Lege præceptorum laudem noui Testamenti. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum, Beati mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram, & cætera consequentia, vel similia.* & plura per Prophetas & Apostolos seminata. De his itaque pascuis clamat pastor ad oues. *Operamini cibum qui non perit.*]

Ipse Christus apud Zachariam cap. 11. Laboris

ris in pascendo impensi mercedem exigens, inducitur. Et additur appensam illi esse mercedem, quæ summam appendendum ingrati tudinem donotaret; mortem inquam & passionem. Id enim est pretium illud appetiari, & tringinta argentei, quibus interprete Euangelista, innuabatur prodigio Christi, & connexus cum ea cruciatus patibuli. Nec semel duntaxat ingratus sumus ille agenti modus, seruatus erga optimum pastorem est. Hodieque non pauci, ut Apostolus expostulat, rursus crucifigunt Christum in semetipsis. Egregie quomodo id fiat, & quam cauendum sit Christiano, aperit his verbis Petrus Damiani, in calce sermonis. 47. [Vide ergo ne rursus tibi met si crucifigas filium Dei, & hostem tui habeas, rursus fabricans crucem, in qua crucifigatur ille, qui resurgens ex mortuis iam non moritur. Intuere, ne mortiferam crucem efficias, in qua facias Filium Dei amarum doloribus interire. Superbia superius, inferius luxuria, à dextris prosperatio iniquitatis, à sinistris aduersitatis desperatio, spinas, clauos, & lanceam Filio Virginis repræsentant. Cum enim elevans te, & ambulans collo extento, caput Altissimi spinarum multipliciter contorques, & hic à superioribus superari molestè fers, immo superiores potius superare contendis, illi similis es qui se similem Altissimo cogitavit. Scriptum est enim; *Deus superbis resistit*, illis videlicet, qui cum eo ex æquo stare contendunt. Componis oculos tuos, ut non respicias cælum, & voluptuositas carnis tuæ motibus moueris & traheris, durioribus clavis tuis pedes Omnipotentis transuerberans, ab inferiori inferis supplicium, dum momentanea voluptate, voluntatem Dominantis excludis. Cum prosperaris in iniquitate, & fecidiori cursu rerum, peccata peccatis accumulans, clauum ponis in illius dextera, quem de suis bonis persequi non desistis. Cum verò abundantiori tristitia absorberis, & tuam impietatem pietati Dei præponderas, sinistram eius transfigas, & conceptum furorem furore tuæ desperationis amplificas. Denique cum præsumus defendere quod fecisti, lancearum ictum lateri, Saluatoris intorques: nihilque grauius ingeris Crucifixo, quam tueri quod odit. De hoc enim peccato scriptum est; *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*.] Hæc omnia de quibus hæcenus, ouibus suis per seipsum præstat Christus pastor.

Pastorum sibi à Christo subdelegatorum, munera, Christi Pastoris muneribus proportionalia.

1093 Nec contentus omnia pastoritæ charitatis in oues suas argumenta exhibere per se ipsum pastor optimus, cum ad ouium procurationem vberiore, tum ad auctius bonum ouium aliquarum, eas sibi in præfecturam cæterarum subdelegat, ut sicut ipse à Patre missus est, ad oues dominici gregis suas faciendas atque pascendas, & cæteris quæ recensuimus beneficiis afficiendas, ita & illæ oues, quæ aliis pascendis ouibus addicuntur, tantundem pro viribus & facultate credita illis præstent. Nam ut ait de se ipso aliisque Pastoribus. D. Augustinus lib. de pastoribus cap. 1. & repetit libro de ouibus, tursus cap. 1. [Duo quædam in nobis sunt

consideranda; vnum quod Christiani sumus, alterum quod Præpositi sumus. Quod ergo Præpositi sumus, inter pastores deput. ut, si boni sumus: Quod autem Christiani sumus, & nos vobiscum oues sumus.]

Pastor, exemplo, & doctrina.

Pastores itaque, Christo pastorem principi, subordinati, oues simul & pastores sunt, per comparationem ad diuersa. Nam respectu omnium ipsis subiectarum, sunt & dicuntur pastores, eorumque est omnia proposita munera exhibere ouibus, quantum fas est homini puro. Debent enim oues cognoscere duplici proposito cognitionis modo, nempe & notitia intellectus, & sectu voluntatis, qui verè fructus sunt amoris in Deum, ut ex Christi S. Petrum influentis pastorem, interrogationibus intelligitur. Debent item præcipuo iure, pascere oues, probatæ vitæ exemplis. Quo enim solari radio non par sit splendidiorem esse eum, qui aliis in vitæ Ideam est propositus? Isidorus certe Pelos. lib. 2. Epist. 205. tantum inter Episcopum & ceteros intercedere vult, quantum inter cælum & terram. Et lib. 3. Epist. 216. vult Episcopos esse viua virtutis simulachra. Immenso in hoc genere sunt Clemens Romanus toto lib. 2. Contit. Blesensis iusto Opusculo, & à sermone 37. Chrysostomus hom. 3. in Actas, & in opere de Sacerdotio. S. Bernardus 2. de consid. cap. 7. Nazianzenus Apolog. 1. S. Gregorius Magnus lib. 1. Epist. 24. Carthusianus iusto opusculo, & innumeri de hoc argumento Recentiores, præsertim Claudius Iulius, & Bartholomæus de Martyribus. Pascere item oues debent, vitæ pascua exhibendo doctrinam scilicet bonam & puram, quæ est Pastoris mystici functio primaria. Vnde S. Augustinus Epistola 59. quæ est ad S. Paulinum, ad orationem quartam, sic scribit. [Pastores & Doctores quos maxime ut discernerem voluisti, eodem puto esse, sicut & tibi visum est; ut non alios pastores, alios Doctores intelligamus; sed idem cum prædixisset, pastores, subiecit Doctores; ut intelligerent pastores, ad officium suum pertinere doctrinam. Idem enim non ait, Quosdam autem pastores, quosdam verò Doctores; sed cum superiora ipso locutionis genere distingueret dicendo, quosdam autem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam verò Euangelistas; hoc tanquam vnum aliquid, duobus nominibus amplexus est, quosdam autem Doctores & pastores.]

1094 Quamquam ut Romani Pastoris, secundum Christum præcipue sunt partes in cura & pastione gregis Christi; ita eius præcipuo iure est, quod bonum & idoneum, quod è contrario reprobum & noxium ouibus pabulum sit, statuere. Citra Metaphoras dico. Romani maxime Potificis est de veritate & puritate doctrinæ fidelibus proponenda, pronuntiare. Imo si agatur de omnino certa & indubitata veræ doctrinæ propositione, eius solius proprium est hoc munus. Quæ causa est, cur iam olim apud sanctissimos & eruditissimos viros, ea tantum doctrina, certè vera & Catholica sit habita, quam probasset Romanus Pontifex, etiam si ipsis (priuata persona comparando) eruditione non conferendus. Quæ enim Damasi ut particularis personæ, eruditio ad Hieronymi eruditionem?

tionemque Innocentij præ Augustino, & Cælestini præ Cyrillo, Alexandrino sapientia? Et tamen hi Ecclesiæ Cardinales Doctores, oracula Romana à prædictis Pontificibus exquisierunt, ut certi essent, se non adduci erroribus. Alia exempla prætereo, cum semper in S. Ecclesia constet, verum fuisse habitum, quod ex sua mente dixit S. Maximus Epist. ad Petrum illustrem, inter Anastasij Collectanea, agens de Pyrrho Constantinopolitano à Romano Pontifice de gradu deiecto. [Si vult hæreticus neque esse, neque audiri, non isti aut illi satisfaciatur, superfluum quippe hoc & irrationabile est: quia sicut vno contra eum scandalizato, omnes scandalizati sunt, ita quoque, vno satisfacto, omnes procul dubio satisfiunt. Festinet pro omnibus, Sedi Romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter vbique omnes, pium hunc & orthodoxum prædicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos ac furtipendos putat, & non satisfacit, & non implorat sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ beatissimum Papam, idest Apostolicam Sedem quæ ab ipso incarnato Dei Verbo, sed & omnibus sanctis Synodis, secundum à ros canones & terminos, vniuersarum quæ in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei Ecclesiarum, in omnibus & per omnia, percepit, & habet imperium, auctoritatem, & potestatem ligandi atque soluendi. Cum hoc enim ligat & soluit etiam in cælo, Verbum quod cælestibus virtutibus principatur. Si enim alios quidem satisfaciendos ducit, & beatissimum Romanum Papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei qui forte homicidij vel alterius cuiusdam criminis redarguitur, & insontem se non ei qui secundum leges iudicandi iura sortitus est, exhibere festinat, sed tantum iniustiter & sine lucere, aliis, & priuatis hominibus munditiam monstrare sui sagittatus, qui nullam habeant se soluendi à crimine potestatem.] Est nimirum Romanus Pontifex, *Pastor Pastorum*, quo *Papa* nomen refert Lucas Tudenis lib. 2. contra Albig. cap. 1.

Tutela ouium à lupis, & in quibus suis discriminibus.

1095. De præstanda ouibus per pastores tutela à lupis, exemplo Christi, crebra sunt Patrum monitiones. Intelligunt autem *luporum* nomine, maxime hæreticos: de quibus propulstandis, & ne grassentur in ouile valide impediendis, discussa segnitie Pastoris in ea re, planè periculosa, brevis quidem, sed tamen elegantissima est Nazianzeni adhortatio ad Nestarium in Apollinariis reprimendis segnem. Et oratio 46. Pulchrè quoque in eandem rem S. Hieronymus ad Theophilum Alexandrinum, Concinnè Basilij Seleuciæ orat. 26. *initio*, laudans Episcopum suum. [Pericunda quædam res est, Pastor in montibus pascens ouium greges, & fistula sono ad pascua greges exciens, qui calamum modulatu delectans, etiam contra ferarum insultus comparatus est, qui baculo, & armis in eas armatur. Talis magnus hic gregis Christiani pastor. Nam cum piis carminibus greges nutrit, arma quæ ad impietatis euersionem faciant, negligere non solet. Immo verò cantillans quæ sunt spiritus, etiam in lupos arma capit. Nam-

que leticia perfunditur crescente grege, præparatæque est necubi lupus, necubi hæreticus, ubi animam aliena à fide narratione corruperit, ouem deuoret: quin immo adsumptam gregis sollicitudinem pro donatio, cælesti offert pastori.]

De tutela verò in aliis discriminibus, etiam temporalibus, quatenus ad spiritualia conferunt, vel confectæ possunt, illustre omnino exemplum est Flauiani Antiocheni, quod S. Chrysostomus valde celebrat. hom. 3. ad pop. Refert enim, cum auertendo Antiochiæ imminentis, ex Imperatoris ira exitio, cum esset ætate deuexa, & domesticis incommodis virgeretur, consuluisse tamen potius ouium suarum indemitati, cætera posthabentem omnia, illa non aurea, sed cælesti oratione vsu[m]. [Si Christus seipsum pro nobis dedit, quæ essimus nos excusatione & venia digni, tanti cottidiam populi creditam habentes, & non eligentes omnia & facere & pati, pro creditorum nobis securitate? Si enim, (inquit,) Iacob pecudibus præpositus, & oues irrationales pascens, & homini rationem redditurus, & noctes ducebat insomnes, & æstus, & gelu, & omnem æris intemperiem ferebat, ut nulla illarum pecudum periret: multò magis nos, non irrationalibus, sed spiritualibus ouibus præpositus, & homini, sed Deo præfidentia huius rationem redditurus, ad nihil torpere & tergiversari oportet, eorum quæ gregem iuuare possint. Sed quanto melior grex iste grege illo, & brutis quidem homines, hominibus verò Deus: tanto maius & nos, vehementiusque studium, & promptitudinem habere oportet.]

Ex mente sua, ipse Chrysostomus hom. 29. in ad Rom. *ad finem*.] Perpendamus (inquit,) & ouium pastores illos qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum custodia patiantur. Illi sapenimvero vniuersum triduum niue adobrutum perdurant. Dicuntur autem & qui in Lybia sunt, non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam sollicitudinem, pessimarumque bestiarum plenam, vagando circumueiunt. Si tantum erga pecora diligentia impendunt pastores illi, quam quæso, excusationem habebimus? Quibus rationales animæ concredita sunt, quod profundum hunc somnum dormimus? Respicite enim omnino oportebat, quiescere autem omnino, & non circumquaque percuttere, innumerisque etiam mortibus seiplos pro ouibus istis exponere, id demum non est boni pastoris. An ignoras gregis huius dignitatem? An illius gratia Dominus tuus innumera non fecit? An non postremo, & sanguinem suum fudit? Tu verò requiem quæris? Et quid poterit peius esse pastoribus istis? An non perpendis, quod oues istas circumstant lupi multò amaricatiores ac sauiiores? An apud te ipsum non reputas, quæ mente sit opus, ei qui talem præfecturam sit administraturus? Addit mox, eam ob rem, bonum pastorem, cum innumeris componi posse

Martyribus, quippe cui milles pro Christo sit moriendum, cum Martyr semel tantum moriatur.

Reductio

Reductio ouium aberrantium.

1096 In aberrantium denique ouium reuocationem, boni Pastores omni studio ac labore incumbunt. Et in eos quidem qui quoad fidem aberrant, suauitate & mansuetudine quantum licet, vtendum esse, confirmat latè S. Chrysostomus serm. 10. in ad Coloss. Tamen efficacia lenitatis iungenda est. Nec si vim adhibere per tempora liceat, cum alia remedia desperantur, abstinendum est. Nam ius non deest, de quo plenè alibi. Vim autem aliquam, apè consequitur bona voluntas iuxta illud S. Augustini serm. 33. de verb. Dom. [Coge intrare hæreticos; fors inueniatur necessitas; nascitur intus voluntas.] Quod si renuant iuari, nec idcirco sunt dimittendi, vt optimè monet Iuo Carnotensis Episto. la ad Paschalem Papam. Est 89. In quam rem sapientissimè differt idem S. Augustinus in Psal. 18. ad vers. 6. & Psal. 21. expositione 2. sub finem; Et Psal. 32. conc. 2. in fine, & in Psal. 33. ad vers. 3. & lib. de Pastor. cap. 7. & lib. de vtilit. ieiunij cap. 10. Egregio dialogismo inter ouem errare volentem, & pastorem, idem docetur in Conc. Aquilgr. cap. 12. [Hic inter manus latronum, & dentes luporum furentium, vt cumque versamur; & contumaces sunt oues, quia quæruntur errantes. Alienæ se à nobis dicunt errore suo, & perditione sua. Quid nos vultis, inquit? Quid nos queritis? Si in errore, inquit, sum, si in interitu, quid me vis? quid me queris? Quia in errore es, reuocare volo; quia peristi, inuenire volo. Sic volo errare, sic volo perire. Sic vis errare? sic vis perire? Quanto melius ego nolo? Proflus audeo dicere, importunus sum. Audio dicentem Apostolum, *Prædica verbum, in ista opportune, importune*. Quibus opportune? quibus importune? Opportune vtique volentibus importune nolentibus. Proflus importunus sum; audeo dicere: Tu vis errare, tu vis perire: Ego nolo. Reuocabo errantem, requiram perditam: velis nolis id agam. Et si me inquirentem lanient vepres sylvarum, per omnia angusta me coarctabo, omnes sepes excutiam: quantum mihi vitium terrens Dominus donat, omnia peragrabō. Reuocabo errantem, requiram pereuntem. Timeo ne negligens te, etiam quod forte est occidam. Vide enim quid sequitur. *Et quod forte fuit, confregistis*. Si neglexero errantem atque pereuntem, & cum qui foris est, delectabit errare atque perire.]

De iis verò qui tantum errant operando malum, seu qui cum sint Catholici, viuunt vt Hæretici, eadem propè est ratio: nisi quod cum in istis superstes sit fundamentum sanctitatis, idèdque facilius sint curabiles, multo proclius par est ferri in eorum reuocationem & curationem. In quo plerique pastorum grauissimè offendant; dum pascendis sibi metipsis potius quam populis, attendunt & inuigilant. Inde sanè Bernardus Motlanensis lib. 3. Rithmorum de mundi contemptu, *pastorum* nomen, aduersa notatione vocis deducit, sic præter cætera concinens.

*Cena sit assua. Pastor ad ardua.
Tercia recumbit. Et cibus undique
Tunc ibi denique, Pastor habetur
Vera vocabula, Pasta cibus gula
Re proficetur. Sed sua pascua.
Non nisi mensura, Sunt animarum*

Atque vti nam vel mensura, aut etiam animarum non fieret tanta animarum clades, eis quorum intererat dormitantibus, aut etiam, stertentibus, post saginam.

Incuria Pastorum, fons exitij ouium.

1097 Verè sanè pronunciauit S. Gregorius, Christum Pastorem magnum ouium, à nullis patrantia dispendia, quanta à subdelegatis ei Pastoribus. Nam eorum incuria, & negligentia, ferè debet cladem animarum, manifestum est sapientum ferè omnium iudicio. Exiple Satana id firmavit Parisiis Anno 1248. cum quidam ad Episcoporum Synodum declamaturus, hoc ab apparente visibiliter Satana, dicendi argumentum accepit, vt refert Cantipratensis lib. 1. Apum. cap. 20. num. 8. *Dicas eis istud, & non aliud. Principes infernalium tenebrarum, principes Ecclesie saluant. Latè omnes nos, gratias ei dem referimus, quia cum ipsi eorum nobis offeruntur subditis; & per eorum negligentiam ad nos, denolunt, totus pariter ferè mundus inuitus quidem tibi dico, quod dico, sed alij in ista coactus. Simile exemplum refert Vinc. in speculo Histor. lib. 2. cap. 89. Et inde etiam illud Casfridi Clateuallensis, de seipso post obitum restantis, his verbis quæ refert Blesensis Epist. 102. sub finem. [Si fuisset de numero Episcoporum, fuisset de numero reproborum.] Nimirum quia nihil proclius est, quam vt per Episcoporum negligentiam pereant, quos Principes pastorum eis commisit. Hoc autem non aliunde prouenit pastoribus, quam quia non meminerunt, se aliorum veluti ouium, esse pastores. Id enim quam deposcit Euangelici rectoris vitam, audi ex sententiis B. Bernardi. [Quantum distat inter pastorem & gregem, tantum debet distare inter Episcopum & plebem. Stat ille sublimis & rectus, curuat iste caput solo depresso. Vnde Poëta.*

Pronaque cum spectent animalia cætera terram

Os homini sublime dedit.

Ille regit, iste regitur, ille pascit, iste pascitur, vt ex ipsa forma & habitu uterque discernatur. Habet ille in manu virgam, qua feriat, vel potius ducat, & reducat ouem. Quid est autem habere in manu virgam, nisi in opere disciplinam, vt subiectos, suos exemplo magis instruat quam verbo? Erubescunt enim superbi esse discipuli, si eos in humilitate præcesserint magistri. Vnde & de Domino scriptum est; *Qua capiti Iesu facere, & docere*. Habet etiam baculum quo feriat lupum. Virga, ouem, baculo, lupum. Hoc est, mites & obediens debet lenius corrumpere, duros verò corde & improbos, acius arguere; cumque necesse fuerit, etiam anathematis sententia ferire. Tenet canem in fune, zelum scilicet in discretionem, ne sit de illis de quibus scriptum est; *Habent zelum (alias emulationem) Dei sed non secundum scientiam*. Habet etiam pastor bonus panem in petra, hoc est, Verbum Dei in memoria.]

*Salus ouium, à bonis Pastoribus; Hi quàm
uarij, omnes in vno.*

1098 Valer hîc conclusio ex Antiocho hom. 111. *initio*. [Debet igitur Pastor totus esse mens & oculus, vt ne vna quidem conceditur sibi pecudum reicula fiat, & indigna quæ recipiatur à Domino per oscitantiam aut decolor sit impetigine cogitationum, aut per suam Pastoris indulgentiam laboret, aut priuari pecus fœda scabie, ne claudicat per irreligiosum ac minus grauem incessum, aut defecta sit aure per inobedientiam, ne cæca esse compariatur per vitiosum aspectum, aut capta à bestiis siue morticina, per improbam operationem. Cum igitur is probè nouerit (ceu mihi dictum est), se pro nobis rationem esse repositurum, par est, vt peruigili cura, suo prospiciat gregi: morèque imitatus medici longè experientissimij, cuique affectui vitioso, opportunum & competens adferat auxilium, nullo illorum neglectui transmissio. Peritus enim si est præses, nequitiam finet discipulum vilius vulneris impressione lauciari.] Neque verò potest Pastor obtendere præconceptum iudicium defuturi fructus. Nihilominus enim bonus Pastor nunquam debet hastam abicere, aut salutem ouium habere pro desperata. In quam rem, luculentum est Christi exemplum, ex quo Pastores talia cauantes virget sanctus Augustinus sermone 59. de verbis Dom. *in fine*, & libro primo, contra Crescon. capite 8. Quod verò vix vllum Pastoris munus, absque Pastoris præsentia, obiri legitimè possit, inde consequens est, Pastores non modò iure positio humanæ atque diuinæ ad residentiam virgeri, sed etiam iure naturali, fundato in munere quod susceperunt. Atque ita ex nomine *Pastoris*, necessitatem residentie infert Athanasius Constantino. Epist. 6.

Hæc igitur præstant, pro facultate, Pastores boni: & cum præstant, dicuntur pascere, & bonorum pastorum partes implere. Per proportionem autem, ad seculares quoque Rectores, siue publicos, siue domesticos, eadem pertinent in sibi subditos officia. Nam & Rex bonus, ab Eusebio libro 4. vitæ Constantini capite 24. dicitur *Episcopus extra Ecclesiam*. Quod considerantes Pontifices, sancto Stephano Regi Hungariæ, vsum crucis præferenda, perinde ac Metropolitanum concesserunt Et sancto Vratislao Duci Bohemiæ, ob similem causam concessus est vsus mitræ, vt est apud Baronium anno 1068. Vnusquisque deinde secularis Pater familias, Episcopus est, aut esse debet in domo sua, iuxta sanctum Augustinum tract. 51. in Ioann. & Chrysostomum hom. 29. in ad Rom. *in ipso fine moralis, & totius homilie*. Quisque item, sui ipsius pastorem, atque adeò Episcopum, agere debet; & pecudibus quas intra se habet, non vt pecuarius, sed vt verus pastor præesse. Longa id oratione prosequitur Philo. de Agricul. Quid Angeli? An non & ipsi pastores? Origenes in eam rem scitè disputat hom. 12. in Lucam, & rursus hom. 13. vbi Episcopum cuiusvis Ecclesiæ, duplicem idcirco distinguit; visibilem vnus carne constantem; alterum verò invisibilem & incorporeum, idest Angelum. Tot

Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.

igitur sunt pastores boni.

1099 Caterum omnes boni pastores, in vno sunt, ait D. Augustinus lib. de Pastor. cap. 13. [Vnum sunt. Illi pascunt, Christus pascit. Non enim vocem suam dicunt amici sponsi, sed gaudio gaudent, propter vocem sponsi. Idem ergo ipse pascit, cum ipsi pascunt, & dicit, *Ego pascō*: quia in illis vox ipsius, in illis charitas ipsius. Nam & ipsum Petrum, qui commendauit oues suas, quasi alter alteri, vnum secum facere volebat: vt sic ei oues commendaret, vt esset ille caput, ille figuram corporis portaret, idest Ecclesiæ, & tanquam sponsus & sponsa essent duo in carnem vnâ. Proinde vt oues commendaret, quid illi prius dicit, ne illi tanquam alteri commendaret: *Petre, amas me?* & respondit, *Amo*. Et iterum, *Amas me?* Et respondit, *Amo*. Et tertio, *Amas me?* Et respondit, *Amo*. Confirmat trinitatem, vt consolidet vnitatem. Ipse ergo pascit, vnus in his, & hi in vno.]

Confirmat id egregie lib. de ouibus cap. 11. & 12. expendens illud, *Pascet eas seruus meus David, ipse pascet eas: & erit eis in pastorem*. Unde infert, Christum esse reuera vnum verum totius sui ouilis pastorem. Præiurat Origenes homil. 12. in Lucam *initio*, tractans aduentum Angeli ad Pastores, custodientes vigilias noctis super gregem suum, vbi sic scribit. Putasne nihil aliud diuinus Scripturarum sermo significat, sed tantum hoc quod ad pastores venerit Angelus, & eis locutus sit? Audite pastores Ecclesiarum, pastores Dei, quod semper Angelus eius descendat de cælo, & annunciet vobis, quoniam natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus. Etenim pastores Ecclesiarum, nisi ille pastor venerit, per se bene gregem seruare non poterunt. Infirma est eorum custodia, nisi Christus cum eis pauerit, atque seruauerit. Dudum in Apostolo lectum est, *Dei cooperatores sumus*. Pastor bonus, qui imitatur pastorem bonum, cooperator est Dei & Christi: & propterea pastor bonus est, quia habet secum pastorem optimum compascentem sibi.]

Vsus doctrine de Christo Pastore.

1100 Quanta felicitas gregis Christiani, tanto ac tali subesse pastori? talis Episcopi, tam vigilis, tam providi gregem esse? Esse hanc iubilandi materiam sanctus Petrus Chrysologus sermone 6. ex toto Psalmo 99. egregie eruit. Mellitissimè idem habet S. Augustinus l. de ouibus cap. 2. [Audiamus (inquit) fratres, vnde Dominus oues suas improbas corripit, & quid promittat ouibus suis. Et vos, (inquit) oues meæ, hæc dicit Dominus meus. Primò quanta felicitas est, esse gregem Dei, si quis etiam cogitet fratres; etiam in istis lachrymis, & in istis tribulationibus, magnum gaudium concipit. Neque enim in eius grege est, quem lupi possunt flagellare, aut cuius somnium possunt captare prædones. Illi enim dictum est, *Qui pascit Israël*, de quo dictum est; *Non dormiet neque dormitabit, qui custodit Israël*. Vigilat ergo super nos ille, vigilantibus nobis, vigilat & dormientibus nobis. Sit ergo de pastore homine, securitas pascente Deo, non tantum quia pascit nos, sed etiam quia fecit nos? Vna est nostra sollicitudo quæ nobis imponitur, audire vocem Pastoris; & est nunc tēpus

EEE e audiendi

audiendi, quia ille nondum assumpsit tempus iudicandi.]

Nimirum, tunc qui de eius ouibus esse hic renuerint, detrudentur in infirmi stabulum; à morte, idest Satana pascendi. Quod Dauid præ-nunciavit lugubri illo effato, *sicut oues in inferno positi sunt mors depascet eos*. Depastio merito nominatur ea pastio, qua miseri homines instar pecudum, ad squalida & horrentia pascua deducuntur: vbi ærumnis duntaxat, & meroribus pascantur, hisque infinitum duraturis. Eum merentur exitum, qui vocem pastoris boni, audire hic contemplerint. Qui vero audientes dicto sunt pastori optimo, & pastorum principi, etiam si immediatam pastorem habeant moribus malum, nec tam pastorem, quam lupum, parent ei nihilominus, & absque noxa, aut damno. Egregie id prosequitur Agobardus in calce libri de modo Regininis Ecclesiastici Bonis ouibus, bonus pastor vitæ pascua providebit. Pulchre eam allegoriam prosequitur Eusebius lib. 3. contra Marcellum cap. 17. Tot & tantæ sunt Christi onium sub hoc magno. Pane & pastorum principe felicitates.

Curandum tantum est ut oues simus & agni, quo nos sæpe nomine Christus ipse appellat, ut informet ad ea quæ sunt partium nostrarum. Sed quæ miseria nostra est, multi oues esse refugerunt, transiuntque in lupos. Querela est Autoris libri de malis DD. malè tributi Sixto III. [Vbi est (inquit), illa denominatio qua plebem suam agnos nuncupat, oues appellat? Sicut ibi; *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus*. Et iterum, *Alias oues habeo*: & deinceps: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum*. Et Beato Apostolo dicitur; *Si diligis me, pasc agnos meos*. Sed & columba eam vocabulo nuncupat, dicens in Canticis Canticorum; *Sponsa mea, columba mea*. Volens scilicet, populum suum, illorum animalium, quorum obtinebat nomina, imitari in simplicitate naturam. Nos hæc omnia, nunc vitæ nostræ perversitate in contrarium vertimus, & alia nobis congruere insignia designamus, lupi potius dicendi, quam oues, & non tam columbæ, quam milui nuncupandi. Atque utinam luporum ferocitate contenti esse videremur; rapacitatemque sufficeret habere miluorum. Sed quod gravius nobis est, omnium tam bestiarum, quam volucrum excessum atrocitatem, dum nec propriæ naturæ parcimus, cum illæ tantum sectantur alienam. Pia precatio ad Christum, Pastorem summum & optimum, ut dignetur ouili suo prospicere, ut dignetur excubitores bonos providere arcere lupos, & curam gregis agere, habetur apud creditum Augustinum l. de salutar. documentis c. 8.



CAPVT XIII.

*Christus Agonothetes, nec non
concertator, & au-
riga noster.*

NON ero in hac parte nimium religiosus, in exigendis ad exquisitam proprietatem vocibus. Quis enim Agonothetes, & Xylarches, & Epistates, spectato vocum rigore secernantur, ut Rhenanus in librum Tertulliani ad Martyres cap. 3. annotauit; tamen ob affinitatem notiorum vocibus illis subiectarum, & quia in certarum præfides ac muneratores, vel certantium rectores cadunt, pro eodem habeo, quod Christus, nunc *Agonothetes*, qui certamen instruat præmiis propositis, nunc *Xylarches*, qui præses sit loci, quo per huius vitæ hyemem exerceantur Christiani; nunc *Epistates*, magister inquam athletarum concertantium, denominetur apud varios Patres: consentaneæ ad Scripturas, quibus hic Christi titulus frequenter insinuantur, nosque specie athletarum, aliorumve in agone contententium, Christo auspice exhibeamur. Fuit quidem in antiqua item lege, apertum certantibus stadium, & proposita corona. Sic enim Dauidem Athletam, insigniter delinebit Chrysostomus hom. 1. de Dauid & Saule. Et ipsum quoque Adamum, nudum in Paradiso velut in stadio athletam, fuisse, constitutum, sanctus Nilus in Asceico auctor est. Tamen stadium quidem longè arctius erat, non ad tantam virtutem excitatis hominibus, ut nunc excitamur: nec reposio præmio, nisi terreno, ut Philosophatur Ildorus Pelus. libro 4. Episto 204. nunc autem per Christum, & stadium amplius ac prolixius est apertum, & corona gloriæ præstituta. Et idem olim in fine vitæ, tanquam exaeto certamine, cadauer Christiani profunde-batur oleo, sicut in primo Christianæ vitæ scammate, factum fuerat. [Defuncto, inquit sancto Dyonisi cap. 7. Hierar. Eccles. parte 3.] infundit oleum Pontifex. Memento autem ut in prima sancta regeneratione ante sacrum baptismum, prima sancti Symboli participatio traditur iniciando, post priorem omnem abiectam vestem, sancti chris-matis oleum: & nunc in fine omnium defuncto itidem infunditur oleum. Atqui tunc quidem olei vinctio, baptizandum euocabat ad sacra certamina: nunc autem infusum oleum, signat eum qui defunctus est, eadem sacra exegisse certamina, sicque fuisse consummatum.]